

quam Doctorum, de se plus æquo fidentium, ingenuosa figmenta noscitate, quæ caro illis, & sanguis revelarunt. Neque enim eruditi Theologi, aut prudentis Philosophi est, altissimas veritates, infallibili auctoritate, aut ipsa rationis evidentiæ constantes, idcirco negare velle, quod gravissimis difficultatibus implicentur. Augustinus ex æquo humilis, & eruditus, magnis se, in concilianda libertate cum gratia, difficultatibus obfideri, fassus est, (1) (quo vel uno intelligimus obiter, quantum illi ab eo, & ab Apostolo dissideant, qui nullam hac in parte difficultatem experiuntur) stetit nihilominus in incepto, nec a prædicanda Divinæ gratiæ virtute, & humanæ libertatis arbitrio propugnando, dimotus est. Non enim, inquit, cum ista commemoramus, arbitrium voluntatis tollimus, sed Dei gratiam prædicamus. Sat erit, illustriora Sanctissimi Doctoris loca indigitare, ubi liberum arbitrium, in agendi, & non agendi potestate situm, docet. Sententiam hac de re dixit omnium explicatissime in libro de Spiritu, & littera, libro de gratia, & libero arbitrio, ac passim in aureo libro De natura, & gratia. In eo afferendo dogmate ubique pene totus est: tum maxime in Enarratione in Psal. 91. numero 3. ubi hæc habet: *Aures tue posite sunt inter monentem Deum, & suggerentem serpentem. Quare hic stentur, hinc avertuntur? Non cessat Satanæ suadere malum; sed nec cessat Deus admonere bonum. Satanæ autem non cogit invidiam: in tua potestate est consentire, & non consentire.*

Æquis tandem sit Pastoralis nostræ Institutioni modus, si illustrata quæquæ Augustini testimonia proferrentur, ubi indivulsa fauciæ libertatis jura tuetur, ac probat, quo etiam tempore gratiæ victricis imperio subest? Quidquid tamen hoc de argumento explicatius docuit, hac una brevi, ac pressa sententia complexus est: (2) *Si non est Dei gratia, quomodo salvat mundum? Et si non est liberum arbitrium, quomodo iudicat mundum?* Si quis autem ultra modum arguari velit, atque e duobus alterutrum e medio tollendum putet, quod utriusque concordiam minus capiat, his cum verbis exagitat Augustinus: (3) *Nunquid ideo negandum est, quod apertum est, quia comprehendere non potest, quod occultum est? Nunquid, inquam, propterea dicitur sumus, quod ita esse perspicimus, non ita esse, quoniam, cur ita sit, non possumus invenire; ... Neque propterea iudicia Dei sunt injusta, quia occulta.* (4)

Theologus si sapit, ut debet, quo studio Electorum vocationem Divinæ voluntati adscribit; eodem & reproborum damnationem solis eorundem malis meritis adjudicabit. *Deus de suo bonus, inquit Tertullianus, (5) de nostra justus.* Diligit omnia, quæ sunt, ait Sapiens, (6) & nihil odit eorum, quæ fecit, quia non odium constituit, & fecit. *Quia bonus est, sumus.* (7) Procul igitur abistat vobis feralis illa sententia, Deum se ipso quempiam prædestinare ad malum. (8) Proscriptus error est olim in Concilio Araucano secundo, suis in Divinæ gratiæ, & gratuita Prædestinationis hostes Canonibus celebrissimo, ac non ita pridem in Synodo Tridentina, Sessione 6. can. 17.

Quotquot ad sobrietatem, ut monet Apostolus,

Theologi sapient, longe erunt, ut putent, Deum justum, ac bonum impossibilia iussisse. A præcis quondam Patribus proscripta blasphemia, & a Concilio Tridentino rursus explosa aureis Augustini verbis, in suos canones transfusa. *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere, quod possit, & petere, quod non possit, & adjuvat, ut possit.*

Illud etiam sæpius fidelium animis inferendum est, Deum sua semel gratia justificatos nusquam deserere, nisi prius ab eis deseratur. Est hæc alterum pietatis Christianæ documentum, Augustini verbis in Concilio Tridentino (9) definitum. Nihil eo apud Sanctissimum Doctorem eliquatius: *Ut innotescat, inquit, quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates; quæ ut non adjuventur, in ipsis iridem causa est, non in Deo.*

Iis principiis constitutis, duo hæc consecraria sponte flouit: primum, posse nos gratiæ cultibet, etiam efficacissimæ, resistere, quia nos ea libertate frui sinit: alterum, culpa nostræ certissime adscribendum esse, quoties aut exteriori gratiæ resistimus, aut etiam interiori, quæ (nisi nostra obesset iniquitas) Dei mandata implere possemus. Et hoc rursus disertissime in Tridentina Synodo (10) constitutum; quæ & hoc etiam in Capite, cæterisque pene omnibus, Justificationem attinentibus, nedum Augustini sensum, sed verba annulata est. Sic ergo nec humana libertas gratiæ obest, quæ, velut instrumentum, utitur Deus, nec gratia libertati, quam sartam, teclamque nobis Deus esse voluit.

Tota iis terminis concludenda hujuscæ argumenti tractatio; nec ultra Divinorum Judiciorum Abyssus tentanda temere. (11) Secretas Divinæ in Electos misericordias scrutari, aut tremenda in Reprobos, iustitiae judicium scrutari propius, nefas esto.

Si qui vos, licentioris, procaciorisque ingenii viri, sophismatibus irretire tentarint, veteresque Semipelagianorum argutias intempestive recuderint, hoc ipsum reponere, satis esto, quod toties olim, secundum Apostolum, reposuit Augustinus: (12) *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? quæsi dixerit: Quid ergo tu, vilis homo, exilis admodum acuminis, & ingenii, ac ipso etiam originis vitio obcæcatus, secretaria Dei iudicia rimari velis? Et inexhaustæ misericordiam, aut infinitæ iustitiæ rationes scrutari te posse, putes? Cum itaque gentium Apostolus, caelesti præ cæteris luce perfulsus, hanc unam noverit, aut certe dederit solutionem, quæ vanas humanæ ignorantiam, atque superbiæ, adversus Prædestinationis, & gratiæ mysterium, argutationes retudit; aliam ostentare, religio sit. Divina Apostoli verba locupletissimi responsi loco demus. (13) *Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum, ut ostenderet divitiis gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ preparavit in gloriam. Nec tamen dicit figuratum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic? cum habeat potestatem figulus lutæ, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam. Si qui ultra molestius urgeant, jam cum Apostolo exclamandum: *O altitudo divitiarum sapient-***

(1) Lib. 1. de grat. Christ. c. 47. Illa quæstio, ubi de arbitrio voluntatis, & Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut, quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratiam videtur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri, Lib. de nat. & gr. c. 32. In Ps. 91. (2) Ep. 214. (3) De dono pers. cap. 14. (4) Ep. 194. n. 10. (5) De resurr. carnis c. 14. (6) Sapient. c. 11. (7) Aug. de Doct. Chr. lib. 1. c. 32. (8) Aliquos ad malum Divina potestate prædestinatos esse, non solum non creditur, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus. In fine Concilii, Sess. 6. c. 11. & can. 18. Aug. lib. de nat. & gr. c. 43. (9) Sess. 6. c. 11. h. 2. de pecc. meritis c. 17. (10) Sess. 6. de just. c. 5. & 17. (11) Iudicia tua abyssus multa. Psal. 45. 7. Altiora te ne quaeris, & fortiora te ne scrutatus fueris. Eccl. 3. 22. Qui scrutator est maiestatis, opprimetur a gloria. Prov. 25. 27. (12) Ad Rom. c. 9. (13) Ibidem vss. 20. 21. 22. 23.

pentia & scientia Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia ejus, & investigabiles viæ ejus! monendique, juxta Augustini consilium, importuni Cavillatores; ut sibi caveant, ne dum quarunt doctores, inveniunt præsumptores.

Vanis Theologorum inventis nullatenus invidentis. Augustini dictum sua ipsi auciã comprobant: (1) *Scrutetur, qui potest, iudiciorum Dei tam magnum profundum; verumtamen caveat precipitium.* Eorum adversus sanctissimum gratiæ defensorum criminationes ne curetis. Quantumlibet illi initio sibi blandirentur, magna spe mentem passi sibi fingerent, futurum tandem aliquando, ut Ecclesia, Augustini sententiam (sicut aiebant) turbata jam pridem, suis illis inventis fedaretur, novamque lucem acciperet; suo tandem experimento comprobarent, quantum ipsos spes illa deluderet. Nec modo, quam sibi spondebant, pacem non attulerit; sed suis etiam inventis excitata diffidia, tumultus, scandala, suis veluti manibus contraxerunt. Novos illos humanæ superbiæ partus irriserunt, quotquot veterum Patrum, & Ecclesiæ Romanæ doctrinam æmulabantur. Joannes Mariana, Molinæ licet Concellita, Sociorum pertinaciam male habuit, qui Societatis honorem in ejus tuenda doctrina possum existimabant. Ac demum Læssius ipse, variis turbinibus agitatus, nihil ex hoc novo invento solatii reportavit.

Humilis Scripturarum meditatio, Traditionis studium acre, conscientiæ puritas, plus nobis lucis afferent, quam quancunque ingenii subtilitas, superbaque humanæ mentis elatio. Ac re ipsa quidem vulgo probabitur, Augustinianæ doctrinæ studiosiores, religiosiori grati animi significatione, Dei dona excipere, iisdemque accuratiori fide, ac religione respondere: cum alii ex opposito, qui ab ea, quasi animos frangeret, aut foediorum aleret, procul abstant, grave periculum subeant, ne minus ipsi pervigilent, minus fervent; immo vero sibi longe plus tribuant, plus superbiant.

Sed & id obiter observandum, vanos illos sublimioris, ut videri quidem volunt, ingenii viros, qui Prædestinationis mysterium pro arbitrio stellant, ut licentius vivant, ac molli securitate torpescant, ita dumtaxat subtiliter argutari solitos esse, ubi sua ipsorum verba agitur. In aliis quippe, ubi sua vel minima salutarum commoda, omne in rebus suis promovendis studium ponunt; nec modo cæteris minus, sed plus etiam quandoque vividis, acres, & experrecti totis viribus adnituntur. Itane vero fugit eos, nisi forte omnem religionis, ac recti iudicii sensum exuerint, Deum ventura quæque certo novisse, atque æterno consilio statuisse? Quid ergo una illos non tangit animæ salus, ubi periclitatur æternitas? Ne illos feculi filios, in fluxu, & caducis sectandis prudentes, ac ipsis quandoque filius lucis prudentiores!

Ne quid ergo omittamus hoc loco, institutioni vestre necessarium, ab iis maxime cavendum, monemus, qui cum Augustini doctrinam aperto Marte oppugnare minus audeant, ejus saltem auctoritatem imminuere adnituntur, objecta sanctissimi Doctoris cum superioribus Patribus, ac maxime Græcis dissonantia. Accusationem occupavit in antecessum Augustinus, multisque probavit argumentis, fieri non posse, ut aliter de Divinæ gratiæ necessitate sensissent, qui iisdem illam precibus flagitaverant. Eos omnes suspectos habetote, qui vel Traditionis seriem succidunt, vel ejusdem, ut ita dicamus, generalitatem demoliuntur,

tur, Patribus secum mutuo commissis, ac scilicet Orientem inter, & Occidentem excitato diffidio. Eruditionem in solvendis, non in congerendis difficultatibus positam putate; in conciliandis Patribus, non illis mutua secum contentione committendis. Idque in antecessum certo creditis; quod vestro tandem experimento, & assidua lectione comprobabitur, posteriores scilicet Patres (quemadmodum Augustinus, & Vincentius Lirinensis (1) observant) ea dumtaxat distinctius explicasse, quæ pressius, atque ex occasione tantum veteres attigerunt: ea præsertim ætate temporum, qua, nondum subortis hæresibus, nulla veritatis distinctius tractandæ, & eliquandæ necessitas erat.

Formam igitur, uti jubet Apostolus, sanorum verborum habetote, quæ ab iis audivimus, quibus veritatis depositum a Deo ipso creditum est: idque in Divina doctrina melius, id certius reputate, quod, emergentium hæresum occasione, ab Ecclesiæ defensoribus, Divinitus datis, assertum est.

Quod superiorum temporum Patres attinet, salva doctrinæ illorum integritate, observare fat est, illos, necdum subortis controversiis, securius pronuntiasse: *Vobis nondum litigantibus, securius loquebatur, aiebat alius Augustinus (2) de S. Joanne Chrysothomo sermonem habens, cujus hodie nobis nonnulla loca studiosius opponuntur, doctissimi Photii de illius operibus minus spectato iudicio. Sicubi, inquit ille, (4) sententiarum aliquæ seu interpretationis, seu profundioris indagacionis indigebant, neque tamen diligenter satis eas, explicavit, mirum id minime videri debet: quæcumque enim auditorum captui accommodata essent, atque ad eorum salutem, & utilitatem pertinerent, ea neutiquam ille pretermittit. Quamobrem, neque admirari sanctissimum virum satis unquam possum, quod perperuo, in omnibus suis scriptis, auditorum ita utilitatem, tanquam scopum, præfixisse sibi videtur, ut cætera vel omnino neglexerit, vel levissimè attingeret: sed & illud præ auditorum utilitate contempsit, quod alicui vel sensus aliquis ignovisset, vel ad profundiora quadam penetrare recusasse, vel id genus alia prætermissa, videri possit.*

Nos quidem, qui ea dumtaxat vobis exponimus, quæ a sanctissimis Divinæ gratiæ defensoribus, quo tempore a variis hostibus peteretur, asserta, vindicataque sunt; in eadem hæcenus sententia sumus. Hanc nos celeberrima Sorbona docuit, ubi & instituti quondam fuimus, ac nunc etiam, quod summo honori ducimus, Providoris munere fungimur.

Ab anno 1347. Academia Theologica Parisiensis, Joannis de Mercuria, Ordinis Cisterciensis, propositiones numero tres gravi censura perstrinxit. *Quod propter opera alicujus futura bona Deus prædestinaverit aliquem ab æterno. Item, Quod aliquis prædestinatus est ab æterno propter usum liberi arbitrii, quem Deus præscribit cum habiturum. Item, Quod non sic gratis, & misericorditer Deus prædestinavit, quin & pro omnibus bonis ipsius futuris, vel alterius. Exstat Academia Censura ad calcem Magistri sententiarum, Editionis 1550.*

Nec aliter censebat olim Academia ista Rhemensis, quo primum tempore instituta est. Fidem locupletissimam faciunt Alani Cardinalis Angeli dictata scripta, dum ante indutam purpuram publici Professoris munus obiret, (5) cum Augustino de gratuita Prædestinatione sensisse tunc Academiam nostram, plus satis indicant.

Ex-

(1) Ep. 194. ad Xistum Aliaz 105. (2) Aug. cont. Jul. Pelag. t. 1. c. 6. In Psal. 54. de Prædest. SS. cap. 14. Linnæus in Common. 1. c. 22. & 23. (3) Lib. 1. cont. Jul. c. 6. (4) In Bibl. (5) Baldinus Rhythovius, Theologiae Doctor, & Professor in Academia Duacena hæc, quæ sequuntur, scribat anno 1609. (immo videtur circa

Exculta eruditio, singulari pietati conjuncta, quam in hac Academia vestra laeti suspicimus, spem nobis facit, futurum ut acceptam a Majoribus doctrinam tueri, & inductos a nonnullis abusus arcere pergat. Ea vos eruditio muniet adversus falsi nominis Augustinianos, qui, cum sanctissimi Doctoris mentem ceteris omnium aetatum Theologis feliciter attingisse sibi fingerent, gratiam necessitantem commenti sunt, novam humanae libertatis ideam intulere, summam bonitati Dei, qui omnes homines salvos fieri vult, modum arbitrari suo posuerunt: ceteros demum errores refricant, quos, a Concilio Tridentino jam pridem anathemate notatos, suis demum Constitutionibus proscribere Innocentius X. & Alexander VII. quinque famosis Propositionibus, ex libro Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi petitis, iusta censura confixis.

Eas Summorum Pontificum Constitutiones summa, qua par erat, veneratione exceperunt Episcopi Gallicani, latoque judicio reverenter assensu sunt. Accessit universalis Ecclesiae Catholicae consensus. Ac demum Christianissimus Rex, Ecclesiae commodis, pro sua pietate, indefinenter intentus, Ecclesiasticae auctoritati Regiam addidit, lato supermo Edicto, Mense Aprili 1665. Firmam haec, atque etiam perennem Ecclesiae pacem attulissent, nisi eam identidem inquieta ingenia perturbassent, nisi scriptis, seu verbis minus prudentibus, & orthodoxis, quibus etiam caritas non mediocriter laedebatur. Certam nobis restituenda pacis viam monstravit piissimus Princeps, dato sanctioris Consilii sui Edicto, die 23. Octob. 1668. quo Brevis Pontificii Clementis IX. observantiam imperabat. (1) Summa nobis ad hanc usque diem cura fuit, piis tanti Principis votis respondere, ut in hac diegesti nostra pacem integram foveremus: ac re ipsa quidem, volente Deo, studiis nostris respondit eventus. Stabimus post hac incepto, nec minimum quidquam de pristina vigilantia remitemus. Quo zelo, qua fide, in eos animadvertemus, qui e damnatis quinque propositionibus aliquam tueri, aut adversus Innocentium X. & Alexandri VII. Constitutiones scripturire, ac mulitare audent, eorum quoque audaciam cohibebimus, qui, assumpta sibi de intimis animi sensibus iudicandi licentia, quam ne sibi quidem arrogat Ecclesia, viros probos, ac pios temerariis suspicionibus infamant, vexant, exagitant, ac vagis Jansenismi accusationibus infestantur. Sanctissimi Pontificis, a Deo dati, cui & longos adprecamur annos, prudentibus Statutis utemur, ut debemus, futurumque speramus, ut data non ita pridem Brevia Apostolica ad Belgii Episcopos, & Academiam Lovaniensem, singulari in Augustini doctrinam studio commendabilem, locupletissimam tandem Ecclesiae pacem adferant, Interea Brevium illorum auctoritate tuti, iniquas, & invidiosas accusationes compescemus, quibus professi calumniatores singularis pietatis, ac doctrinae viros infestantur.

Quocirca publice denuntiamus, quemadmodum

& nuper Illustrissimus Archiepiscopus Parisiensis publico Decreto (2) denuntiat, nos nulla ratione passuros, ut viri sine nomine, sine caritate, ac sepius etiam sine litteris, de proximorum fide iudicandi, eosdemque ex levibus suspicionibus infamandi, ius sibi sumant. Faxit Deus, ut tot illis Summi Pontificis, & Episcoporum consiliis obsequantur audaces accusatores, prudentissimoque Regis Edicto obtemperant, quo fatale nimis, & bonis omnibus exitiale incendium relinquentium existimaverat. Si sua illos nihilofecius pernicia male torquet, timendum, ne haec in eos Hormifera Pontificis de Scythia Monachis, verba cadant: (3) *Eousque tumoris elati, ut ad arbitrium suum utriusque Orbis putent inclinandum esse iudicium; nec in numero fidelium deputantes sequaces Traditionis paterna, si suae viderint cedere nolle sententia.*

Volumus, hoc praesens Decretum nostrum in proximis Theologiae Rhemensis Academiae Comitiis legi, cum primum ex juris forma vulgatum erit, in ejus Commentarios referri ex integro, doctrinamque, inibi expositam, in publicis Scholis doceri, ac propugnari. Volumus insuper, idem illud ad omnes Dioecesis nostrae Cœnobiarchas deferri, ad trium Seminariorum Praepositos, ad Rectorem, & Theologiae Professores Collegii Societatis hujusce urbis, ac demum ad Rectores Jesuitarum Carolopolis, & Sedani: atque id quidem sine mora, agente Curiae nostrae Syndico. Universis Societatis Religiosis, seu jam in nostra Dioecesi constitutis, seu ad eam deinceps accessuris, injungimus, ut praesenti Decreto pareant, quo supra modo expositum est. Ac licet liberam eis relinquamus quaestionem Theologicarum tractationem, quas vel liberas habent Theologicae Scholae, vel ad sui iudicii aleam vocavit Apostolica Sedes, iis tamen, quemadmodum & singulis sacerdotibus, secularibus, & Regularibus, Concionatoribus, ac Magistris inibemus, ne quid scribant, doceant, aut e Sacro suggestu, vel Scholae pulpito tradant, in duobus illis Capitibus repugnans, quibus, veluti fundamentis, Augustiniana doctrina summam, ab Ecclesia probatam, ac velut Ecclesiae fidem contra Pelagianos assertam, ostendimus. Statuimus praeterea, ut Theses Theologicae, diebus 5. & 17. Decembris anni mox elapsi habeant, supprimantur.

Ceterum testificamur, paratos nos esse ex animo ad singulares benevolentiae, & eximiationis nostrae significationes, quas data occasione, Societati deferendas: futurumque speramus, ut qua ratione nihil ex eis omnino volumus, nisi quod Dei gloria, Ecclesiae dignitas, ac vera Societatis ipsius commoda postulant; ita iudicio, atque auctoritati Dei pareant, qui nos, immeritis licet, posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.

Hoc tandem superest unum, ut Deum optimum adprecemur, *Ut id ipsum dicamus omnes... simulque perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia,* (4) ut, ejus opitulante gratia, solliciti sumus *servare unitatem Spiritus in vinculo pacis:* (5) cum una

circa annum 1589. aut 1590.) In penultima ad Baccalaureatum Disputatione defendendas sibi sumerat respondens, praeter alias, etiam duas propositiones haec. *Electos Deus, ex pura gratia, & non ex praesidio meritis, ad gloriosum misericordiae suae praesidium. Et omnis voluntatis conatus, & acceptio gratiae est a gratia, sine qua nemo Deo inspiranti consentit.* In disputatione cum quaesitum a quodam disputantium fuisse de sententia Illust. Cardin. Alani super causa praedestinationis (cui interrogatio occasione hoc dabat, quod Respondens illius viri in Academia Rhemensis discipulus, alumnusque fuisset diximus & Praef. & Respondens id, quod res erat. Et paucis post diebus legi vobis, in Commentariis ejusdem D. Alani in primum Sententiarum, mea manu, illo distante, descriptis, ejus sententiam, nostris profertur quosdam, quia contrarium, ut didicerant, docturi etiam fuissent.

Pag. 108. *Collectiois ejusdem, editi anno 1695.* (1) Edicto publico, 28. Septembr. dato, Rex cavet, ne subditorum suorum ulli se invicem impetant, aut dictis proficiant, sub praetextu anteaactae controversiae, neve impingant Haereticorum, Jansenitarum, Semipelagianorum, aut similia quavis factionis nomina, ne demum scribant, edantve in lucem libellos de hoc eodem controverso argumento, nec famam con vitis herant cuiusquam, qui fidei formulae, ex sui Archiepiscopi, Episcopove praescripto subscriperit, sub poena gravi ad exemplum infligenda. (2) Die 20. Augusti 1606. (3) *Epist. 20.* (4) *1. ad Cor. 1.* (5) *ad Eph. 4.*

una nobis fides esse debeat, spes una, finis unus, Secretarii nostri Chirographo, die 15. Julii anno 1697.

Gloria salicet Dei Patris, per Dominum nostrum Jesum Christum, ad Ecclesiae Catholicae munimentum.

CAROLUS MAURITIUS
Archiepiscopus Dux Rhemensis.
De Mandato Illustrissimi Archiepiscopi Domini
DE MARTIGNY.

X X I V.

THESES JESUITARUM,

De quibus in Pastoralis Illustrissimi Rhemensis Decreto,
& in Historia Congregationis, cum aliis
nonnullis affinis.

JESUITARUM RHEMENSIIUM
Theses Theologicae de Gratia.

13. Augusti anno 1692.

DE GRATIA IN GENERE. (1)

I.

I I.

GRATIA magnum Dei donum, sed magnum quoque fidei mysterium: in eo scrutando vestigis D. Augustini, & D. Thomae prudenter insistitur; in explicando, Ecclesiae definitionibus inhaerendum. Hinc ab Alexandro VIII. damnata haec propositio: *Ubi quis invenit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.* Gratia vel est pure naturalis, si tamen haec a Theologo gratia dici simpliciter debet, vel supernaturalis; eaque vel quoad modum tantum, vel quoad substantiam: subdividitur supernaturalis in gratis datam, & gratum facientem; gratum faciens in habitualem, & actualem; actualis in gratiam fanitatis, & medicinae; utraque in praevientem, concomitantem, & subsequentem; praevientem in efficacem, & sufficientem, &c. Potuisse hominem condi, absque ordine ad ullam gratiam supernaturalem, probat ipsum nomen supernaturalis gratiae; non ita tamen fuisse conditum, probat felix ille status, in quo ante peccatum vivere primi Parentes. Hujus status praerogativae singulares numerantur, naturae integritas, justitia originalis, gratia sanctificans; quae omnia primo homini, a primo creationis instanti, fuisse donata, arbitramur; ut enim in Angelo, sic in homine Deus simul fuit & naturam condens, & gratiam largiens. Fuit ergo possibilis status naturae purae; at non existit: existit status integer elevatiois; at hic non diu perstitit; quae enim per bonam voluntatem concesserat Deus Creator, haec per malum arbitrii usum perdidit homo peccator, nunquam utique reditura, nisi lapsus ille naturae fuisset, si non adaequate, saltem secundum id, quod erat praecipuum, beneficio Redemptoris reparatus.

Dari in statu naturae reparatae gratiam sanctificantem habitualem, eamque homini realiter inhaerentem, & non denominative tantum ab Christi Redemptoris iustitia, homini iusto impunita, contra recentiores Haereticos definit Concilium Tridentinum. An haec entitative ab anima distincta sit; quaestio est philosophica magis, quam Theologica: supponimus certo distinctam; an vero distincta sit ab habitu caritatis; quaestio est vere Theologica, sed minus certa: nos sententiae distinguenti, ob id maxime, quod videatur esse D. Thomae, libentius assentimur. Bene definitur; Supernaturalis participatio Divinae naturae. Supernaturalitatem suam habet, sicut & omne aliud ens in entitate supernaturali, quoad nos quidem, quod ad unionem cum Deo, ut in se est, ordinetur; quoad se vero, quod ejus sit perfectionis, quae vires omnes cuiuscumque naturae creatae tam passivas, quam activas, tam morales, quam physicas exsuperet. Obiinetur in Sacramentis ex opere operato, praescripto, non excluso, omni operantis merito; immo & quandoque exclusa omni subiecti dispositione, ut in infantibus: extra Sacramenta, non nisi ex opere operantis, si martyrium excipias; absque tamen merito de condigno, si sit prima, fecus, si sit secunda. Facit hominem vere justum, vere filium Dei adoptivum, & gloriae aeternae heredem: an haec tamen omnia ex natura sua, an ex accedente pacto Divino habeat, non definimus. Capax est augmenti, augeturque de facto per pia opera, idque statim ab opere, non contradicente D. Thomae; at per peccata non minuitur, sed vel tota perit, si sunt mortalia; vel si sunt venialia, tota remanet, non tamen absque accidentaliter detrimento.

III.

(1) Ad Paragraphum 4. Hist. de Auxiliis.